





IV  
DISSE<sup>19</sup>  
TATIO MEDICA  
SISTENS  
**H Y D R O P I S**  
**PATHOLOGIAM,**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

**ERNESTO ANTONIO NICOLAI,**

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO AVLICO,  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE ET  
PUBLICO EXTRAORDINARIO  
D. XIX. NOVEMBR. A. R. S. CCCLVI.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

**ERNESTVS HENRICVS DAVIDIS**  
TREMONIENSIS GVESTPHALVS.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
PRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSESTATIO MEDICA

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE  
EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D.CHRISTIANO ANDREAE  
COHENIO

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO  
AVLICO ET ARCHIATRO, COHORTIVM BELLICARVM  
ET ORPHANOTROPHEI POTZDAMPIENSIS MEDICO OR-  
DINARI, COLLEGII MEDICORVM SUPREMI DIRECTORI  
ET COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI BEROLINENSIS DE-  
CANO, CIRCVLORVM QVORVNDAM PHYSICO,  
ACADEMIARVM CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET RE-  
GIAE BEROLINENSIS SCIENTIARVM ITEMQVE COLLEGII  
SANITATIS MEMBRO LONGE MERITISSIMO,

VIIIS

DOCTRINAE RAESTANTIA  
FAMAE CELEBRITATE  
MVNERVM MERITORI<sup>V</sup>QUE AMPLITVDINE  
SPECIATISSIMIS

PRAENOBILISSIMO CONSULTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

HENRICO ANTONIO  
HVSEMANNO,

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO  
A COMMISSIONIBVS, CONSULI VNNENSIVM PRIMA-  
RIO QVONDAM GRAVISSIMO,  
PRAEFECTO REDITVVM REGIORVM MERITISSIMO,

AVVNCVLO SVO

OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE  
CVLTV AETERNUM PROSEQVENDO;

PATRONIS AC FAVORI<sup>V</sup>S INDVLGENTISSIMIS

ABETERNA MENTIS VENERATIONE COLENDIS.



21

HASCE  
STUDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS  
IN  
OBSERVANTISSIMI ET OBSEQVIOSISSIMI ANIMI SVI  
AC PERPETVAE PIETATIS  
TESTIMONIVM  
CVM VOTIS ARDENTISSIMIS,  
**HE**  
VT  
SVMMVS RERVM OMNIVM MODERATOR  
EOS AD SEROS VSQVE ANNOS OMNI PROSPERITATIS  
GENERE FLORENTES SALVOS ATQVE INGOLVMES  
SERVET,  
SVBMISSA MENTE CONSECRAT,  
**R**  
ATQVE  
SVMMO EORVM FAVORI AC PATROCINIO  
SE SVA STVDIA FORTVNAMQVE SVAM  
HVMILLIME COMMENDAT

ERNESTVS HENRICVS DAVIDIS,



## PROOEMIVM.



Multis forsan mirum videbitur,  
quod ad dissertationem elabo-  
randam eiusmodi elegerim ar-  
gumentum, cuius tam frequens  
totiesque reiterata in monu-  
mentis eorum, qui de mor-  
bis aliquid memoriae prodiderunt, occur-  
rit tractatio, ut disquisitione nova minus  
dignum videatur. Haec mihi facile timo-  
ri atque impedimento esse potuissent, quo  
minus hoc thema hac diatribe summissim  
exutiendum. Verum enim vero, cum  
idem hoc argumentum omnibus suis nu-

A 3                      meris

meris perfectum atque absolutum in Medicorum scriptis non invenerim traditum, ut omnia huc pertinentia, in primis ea, quae genesin hydropis concernunt, penitus exhausta sint atque exantlata, nolui dimittere hoc argumentum, sed operaे pretium facturus mihi visus sum, si id pro ingenii mei modulo accuratiori submitterem examini, eaque in primis, quae tenebris adhuc circumfusa sunt atque occultata, in apricum protraherem & lumini exponerem clariori. Accessit ad hoc, quod hoc thema ob usum & fructum, quo se in arte Medica commendat, singularem maxime dignum mihi fuerit visum, in quo elaborando vires periclitarer meas; nam neminem, qui vel primis tantum, ut aiunt, labris salutaris scientiae doctrinas degustaverit, latere potest rationalem & felicem praxin medicam vere & certae morborum theoriae esse superstructam. Faxit Numen Divinum, ut haec omnia conamina in sui ipsius gloriam, proximi emolumentum & scientiae medicae commodum cedant atque incrementum.

§. I.



§. I.

**S**i hydrops ut genus consideratur, optime definiri potest per tumorem a lymphae sub cute extravasatae accumulatione dependentem.

Consideret quis omnes, quotquot & quam diversae sint hydropis species attentiori animo, & his characteres in definitione allegatos non competere solum sed iis etiam ab omnibus aliis affectibus discernendis inservire nullo deprehendet negotio. Nec sine ratione addidi characterem: *sub cute*. Quum enim hydropis species in eo convenient cum vesicis, vel si malueris, pustulis, quae a lympha sub cuticula collecta eamque in tumorem elevante producuntur, quales oriuntur a combustionē & vesicatoriis, quod sint tumores a lympha extravasata collecta proficiētes, in hoc vero a se invicem discrepent, quod in his supra cutem, in illis vero sub cute haereat lympha extravasata collecta, ratio necessitatis apparet, cur memoratum characterem definitioni inserere debuerim. Quis enim est, quem praetereat, vesicas illas, quae ab igne vel vesicatoriis producuntur, a nemine medicorum nec ad hydrope referri nec huius nomen illis attribui? Non potui itaque non eas discernere ab hydrope eiusque speciebus charactere; *sub cute*, *nocte* *tempore* *lumen* *imp*.

§. II.

## §. II.

Hydrops varia nanciscitur nomina pro parte, in qua lympha extravasata haeret accumulata. Sic dicitur *Ascites*, si in cavitate abdominis intra peritoneum, *hydrops pectoris*, si in pectoris cavitate, *hydrops pericardii vel uteri*, si in pericardii vel uteri cavo, *hydrocephalus*, si in capite, *hydrops scroti*, si in scroto, *Anasarca* seu *oedema late sic dictum*, si in tunica adiposa sub cute, & *oedema stricte sic dictum* seu *tumor oedematofus*, si in artuum tunica adiposa lympha haeret accumulata. In hydrocephalo lympha est collecta vel intra vel extra cranium. In priori casu *hydrocephalus* appellatur *internus* & in hoc lympha vel inter cranium & duram matrem vel inter hanc & piam matrem vel inter hanc & cerebrum vel in cerebri ventriculis est acervata. In casu posteriori *hydrocephalus* nominatur *externus* & in hoc lympha vel inter cutem & pericranium vel inter hoc & cranium inclusa est atque accumulata. In hydropoe scroti lympha est vel contenta in tunica scroti adiposa vel in tunicis huic subiectis, ut in tunica vaginali vel intra vaginalem & albugineam tunicam. Ille hydrops scroti nominatur *hydrops scroti stricte sic dictus*, hic vero *hydrocele*. Porro in hydropoe lympha extravasata accumulata vel est inclusa tunica propria vel non. In casu priori *hydrops* nominatur *saccatus* seu *cysticus*, &, si tunica haec a lymphae in folliculos vel vesiculos minores est expansa, haec dicuntur *hydatides*. Occurrunt saepius eiusmodi hydropes saccati pectoris & abdominis, in qui-

quibus pleura & peritonaeum saccum format, quo inclusa haeret lympha. Si denique lympha extravasa-  
ta in tunica cellulosa peritonaei, omenti, mesenterii,  
ovarii &c. haeret accumulata, *hydrops* vocatur *peri-*  
*tonaei, omenti, mesenterii, ovarii &c.*

## §. III.

Cum hydrops sit tumor a lymphae extravasa-  
tae accumulatione dependens §. I, necesse est, ut, si  
hydrops oriri debet, lympha extravasata accumu-  
letur.

## §. IV.

Superficies partium mollium internarum tam  
continentium quam contentarum in statu naturali  
humidae sunt ac madore perfusae. Si canis laqueo  
semiextincti cranium, qua fieri potest, celeritate in  
orbem serra absconditur & dura mater, quae crani<sup>i</sup> in-  
terni periosteum est, incisa elevatur, huius superficies  
interna & externa piae matris invenitur madida &  
fumulus exhalat subtilissimus, qui puri vitri polita  
superficie exceptus guttulas facit eadem fere ratio-  
ne subtile ac halitus Sanctorianus, qui ore exiens  
speculo excipitur. Aperti in vivo animali thoracis  
& abdominis interna superficies exhalat subtilem  
vaporem, qui puri vitri polita superficie exceptus  
guttulas format; madida est superficies membranae  
costas succingentis & peritonaei; absterius saepius  
humor mox reddit sponte vel pressione a tergo. Idem  
valet de contentis in his cavitatibus, utpote quae  
itidem exhalant liquidum tenuissimum nebulae in-

B

star

star & calida humida ac madida sunt. Hic Vapor post mortem in aquam collectus eiusque varia deprehenditur copia. Nec silentio hic praeterire possum lympham ventriculorum cerebri & liquorem pericardii, quae etiam huc pertinent. Eadem eodem deprehenduntur modo in hominibus sanis violenta morte peremptis, si statim post mortem, dum adhuc calida sunt, dissecantur, immo ex iis, quae de animalibus dicta sunt, vi analogiae ad corpus humanum concludi potest.

### §. V.

Hic humor, qui viscera & membranas, quibus involuta sunt, humectat & sub halitus vel vaporis forma se repraesentat §. IV, nihil aliud est quam lympha eaque per vascula a massa sanguinea secerni & secreta excerni debet. Haec vascula, ex quibus lympha excernitur, nominabo *vascula lymphatica advehentia seu excretoria*. Cum igitur haec lympha secernatur & secreta excernatur, in statu fano aut resorberetur aut non. Si non resorberetur, deberet elapsio certo temporis spatio ita accumulari, ut exinde status morbosus oriretur. Quod vero cum in statu fano non fiat, necessario sequitur, ut in statu naturali lympha, quae excernitur ad humectanda viscera & membranas, resorbeatur. Adesse igitur debent vascula, quae lympham resorbent & haec nominabo *vascula lymphatica resorbentia*. Haec esse nequeunt arteriae, qui in his lymphae resorptionem impetus cordis & arteriarum impedit, venae itaque

itaque ut sint necesse est. Hae venae lymphaticae inferunt suam lympham sanguini venoso. Vasa lymphatica infimi ventris ad capsulam chyli Pecquetianam tendunt, quae in pectore reperiuntur, vasa lymphatica, ad ductum thoracicum, qui in venam subclaviam sinistram abit, ex thymo vero venientia etiam partim in subclaviam venam partim in ductum thoracicum lympham suam deferunt. Horum igitur vasorum lymphaticorum lympha sanguini venoso ante miscetur, quam ad cor reddit.

## §. VI.

Si hydrops oriri debet, necesse est, ut lympha in certa parte accumuletur. §. III. Nunc lymphae excretio & resorptio vel sunt aequales vel non & hoc in casu lymphae excretio est vel maior vel minor eius resorptione. Si lymphae excretio & resorptio sunt aequales, lympha accumulari adeoque hydropem producere nequit. Si lymphae resorptio maior est eius excretione, lympha itidem colligi & hydrops oriri nequit. Si ergo hydrops produci debet, necesse est, ut lymphae excretio maior sit eius resorptione. Si lymphae excretio superat eius resorptionem, tres iterum casus sunt possibles: vel enim lympha in naturali affluit quantitate & in iusto minori quantitate resorbetur vel plus lymphae quam in statu naturali affluit & in naturali quantitate resorbetur vel naturali maior copia lymphae affluit & eius naturali minor copia resorbetur.

B 2

## §. VII.

## §. VII.

Si lympha resorberi nequit, vitium adesse debet & hoc haeret vel in lympha ipsa vel in vasculis lymphaticis resorbentibus vel in utrisque simul. Lymphae qualitas impedit, quo minus resorberi possit, si nimis tenax est & viscida. Tunc enim particularum lymphae cohaesio tanta est, ut particulae, quae ex adhaesione in vascula lymphatica resorbentia penetrare conantur, a reliquis secedere & vascula intrare nequeant. Vascula lymphatica resorptionem lymphae impediunt, si sunt obstruēta adeoque vel nimis constricta vel compressa vel viscida vel alia materia stagnante repleta.

## §. VIIH.

Lymphae excretio seu affluxus versus certam partem est naturali maior, si huius partis vascula lymphatica excernentia una cum orificiis suis prænaturaliter sunt dilatata. Nam sub hac conditione non possunt non debito maiorem lymphae transmittere atque excernere copiam. Porro res est confessæ veritatis, lymphae affluxum præternaturaliter augeri, si unum vel aliquot vas lymphatica disrupta sunt vel erosa. Cum enim durante vita lympha a motu cordis & arteriarum prematur & ut fluidum pressum eo maiori copia ruat atque impetu, ubi minorem invenit resistentiam, necesse est, ut ex uno vel pluribus vasibus lymphaticis disruptis vel erosis lympha solito abundantius effluat; in loco enim disruptionis vel erosionis minor adest resistentia.

tia. Si vascula lymphatica excernentia sunt debilitata, minori pollent resistentia, hinc a lymphae im- petu non magis solum extenduntur atque amplian- tur ut maiorem lymphae quantitatem transmittant, sed ipsa etiam lympha in ista vascula majori affluit copia, unde eius excretio non potest non augeri.

### §. IX.

Si vascula lymphatica excernentia sunt obstru-  
cta, fluidum lymphaticum transire nequit & a con-  
tractione cordis & arteriarum maiori premitur im-  
petu, quo vascula lymphatica ad maiorem exten-  
duntur gradum & lympha stagnans expellitur.  
Cum vero ob extensionem maiorem praegressam  
vascula lymphatica fuerint debilitata, non resistunt  
amplius debita vi impetui lymphae, hinc eius secre-  
tio atque excretio augetur, manetque aucta tamdiu,  
donec vascula suum recuperaverint robur. §. VIII.  
Quid? quod fieri potest, ut vascula lymphatica ob-  
struēta ab extensione nimia disrumpantur, quo fa-  
cto largior quoque lymphae sequi debet excretio.  
§. VIII.

### §. X.

Si vasa lymphatica sub cute integra in quacun-  
que parte haerentia disrupta sunt vel erosa, lym-  
phae iusto maior excernitur copia. §. VIII. Cum  
vero certa & determinata tantum lymphae quanti-  
tas, naturalis nimirum, revehatur, plus lymphae af-  
fluit quam refluit, remanet ergo & accumulatur &  
tumorem producit, id est, hydropem. §. I. Disru-  
ptio

ptio igitur vel erosio vasorum lymphaticorum subcute integra iacentium non potest non hydropem producere. Rumpuntur vero vasa lymphatica, si a lympha stagnante & accumulata nimis extenduntur §. IX. & eroduntur a lymphae stagnantis acrimonia.

## §. XI.

Quamvis extra omnem positum sit dubitatem, vasorum lymphaticorum rupturam vel erosionem caussari hydropem §. X, nihilominus tamen ad illorum accedere possum sententiam, qui omnem omnino hydropem a lymphaticorum vasorum ruptura vel erosione proficiendi contendunt. Si enim hydrops ab hac semper oriretur causa, nullam plane admitteret medelam, neque ullus, qui eo decumbit, posset ad sanitatem reduci. Nam quae evanescunt, lymphae quantitas, iterum denuo restituuntur, neque ullo alio modo consolidatio vasorum lymphaticorum disruptorum vel erosorum obtineri potest, nisi compressione, quae vero in partibus internis applicari nequit, quia pressio illas afficere nequit sine maiori damno exinde expectando, vel si hoc sine noxa fieri posset, frustranea esset omnique bono effectu destitueretur, quia nullo modo detegi potest, quaenam vasa lymphatica in partibus a visu nostro remotis disrupta sint vel erosa. Neque nobis cognita sunt atque explorata medicamenta, quae virtute vasa lymphatica disrupta & erosa sine noxa consolidandi sunt instructa. Cum vero experientia doceat, hydropem interdum

dum remediis cedere & curari, non omnem hydropem a disruptione vel erosione vasorum lymphaticorum oriri clarum est & perspicuum.

## §. XII.

Quod non semper hydrops a disruptione vel erosione vasorum lymphaticorum proficitur, apparet etiam exinde liquido, quoniam saepissime a sola praeternaturali dilatatione vasorum lymphaticorum excernitum suam trahit originem. Hac etenim posita naturali maior excernitur lymphae copia, quam resorberi potest, §. VIII, hinc accumulatur & tumorem producit, qui hydrops vocatur. §. I. Si hydrops ab hac nascitur causa, longe facilior est curatu, quam si ab erosione vel disruptione vasorum lymphaticorum producitur, quia tot tantisque difficultatibus obnoxium non est, vasis lymphaticis dilatatis pristinum restituere diametrum, quam ea disrupta vel erosâ consolidare.

## §. XIII.

Vascula lymphatica resorbentia deferunt suam lympham in venas sanguiferas & alia vasa lymphatica itidem suam lympham inferunt venis sanguiferis, quae eam una cum sanguine revehunt ad cor §. V. Iam fac, sanguinis per venam, cui inseruntur modo memorata vasa lymphatica, regressum plenarie esse impeditum, tunc lymphae quoque refluxus ut sit cohibitus necesse est, vasa ergo lymphatica resorbentia lympha sua se exonerare, & quae iam excreta est & continuo excernitur, resorbere

bere non possunt lympham, haec igitur, cum eius affluxus perduret, non potest non accumulari & accumulata tumorem, id est, hydropem §. I. producere. Veritatem huius asserti confirmant experimenta, quae *Illustris b. m. HOFFMANNVS* in *Medic. system. Tom. IV. Part. IV. Cap. XIV. §. XIII.* recentet: LOWERVS, inquit, in vivo animali venam aliquam maiorem filo constrictum idque vinculum per horam reliquit & protinus tumorem oedematosum in illa parte, qua rami ad venam excurrunt, animadvertisit. Simile quid conspicitur, quando ad enormes haemorrhagias fistendas instrumentum venas valde comprimens, quod nomine Tourniquet venit, applicatur. Quodsi enim diutius relinquitur, in tumorem successive pars attollitur. Ligaturam vero & compressionem venarum nullo alio agere modo quam refluxum sanguinis per venas impediendo, quis est, qui dubitat?

#### §. XIV.

Si venae, in quam abeunt vasa lymphatica, obstructae sunt vel compressae, pro obstructionis vel compressionis gradu sanguinis per eas refluxus modo magis modo minus impeditur, quam ob rem exinde hydrops oriri potest. §. XIII. Clarissime ergo apparet, quomodo & cur obstructiones infarctus scirrhi & tumores viscerum abdominalium, ut hepatis, lienis & mesenterii item polypi in corde eiusque vasis proxime connexis hydropem producere possint & soleant; quia his refluxus sanguinis per venas

venas magis vel minus potest impediri. Dum vero affirmo, viscerum obstrunctiones hac ratione ad hydrozem producendum concurrere, non nego sed potius contendeo, eas alio etiam modo, quo scilicet chylificationem & sanguificationem ita laedunt, ut bonae indolis humores non generentur, suum ad hydrozem genesin conferre symbolum, de qua re infra plura dicentur. Simili ratione sine ullo negotio explicari potest, quod cur & quomodo tumor pedum oedematosus in graviditate, si scilicet ab ute-  
ro venae, per quas humores e pedibus redeunt, con-  
primuntur, hydrocephalus, a venarum ingularium,  
& hydrocele a venarum spermaticarum compres-  
sione oriri possit.

### §. XV.

Si humores lymphatici visciditate laborant, ad stasis sunt maxime proni atque apti. Si igitur stagnant in vasculis lymphaticis excernentibus, stasi expedita iusto maiori in copia excernuntur §. IX, &, cum viscidii sint, resorberi non possunt, §. VII, hinc accumulantur & tumorem producunt, qui hydrops vocatur. §. I. Visciditas igitur humorum lymphaticorum hydrozem caussari potest.

### §. XVI.

Si humores lymphatici acres sunt, vi suae acrimoniae vascula lymphatica excernentia constringere sibique ipsis transitum praeccludere, id est, stagnare possunt, quo facto stasi expedita maiori in copia excernuntur §. IX, & cum acres sint, vi acrimoniae

C

suae

suae vascula lymphatica resorbentia irritando constringere sibique ipsis redditum praeccludere possunt §. VII. Quod si fit, remanent accumulantur & tumorem producunt, id est hydropem. §. I. Possunt etiam vasa lymphatica vi acrimoniae suae erodere & hac ratione hydropem gignere.

### §. XVII.

Debilitas vasculorum lymphaticorum excernentium iusto maiores lymphae excretionem producere valet. §. VIII. Cum vero lympha, si iusto copiosius affluit, in tanta, in quanta excernitur, copia revehi nequeat, necesse est, ut colligatur & collecta tumorem, id est, hydropem producat. §. I. Ex debilitate igitur vasculorum lymphaticorum excernentium hydrops oriri potest.

### §. XVIII.

Qua ratione viscerum abdominis obstrunctiones ad hydropem producendum concurrant, supra iam dedi demonstratum §. XIV, sed praeterea alio quoque modo, qui nunc declarandus est, suum ad hydropem conferunt symbolum. A visceribus enim abdominis rite constitutis suasque actiones legitime exercentibus non massa solum sanguinea depuratur, id quod liquores, qui his in visceribus secernuntur, testatum faciunt, sed chylificationis etiam legitimus dependet successus: quae omnia ex principiis physiologicis luculenter apparent. Quam ob rem his visceribus obstructis necesse est, ut massa sanguinea non legitimate depuretur & chylificatio laeda-

laedatur. Si massa sanguinea non legitime depuratur, in ea partes remanent, quae excerni debuissent, vitiosa oritur partium constituentium proportio, acrimonia & visciditas. Hepate vel liene obstructo bilis secretio impeditur, hinc partes biliosae remanent in massa sanguinea atque acrimoniam & visciditatem eius producunt.

## §. XIX.

Pingues & oleosae ciborum partes in ventriculo ita non resolvuntur, ut ad perfectam cum aquae chylique partibus mixtionem subeundam sint aptae. Bilis igitur, utpote quae fluidum est alcalico-sulphureum, erat necessaria, quae partes ciborum oleosas & pingues decenter resolveret & ad intimorem cum aquae chylique partibus miscelam aptam redderet. Obstructis igitur vasis hepatis secretoriis oritur defectus bilis ad elaborandum bonae indolis chylum summe necessariae, quam ob rem pingues & oleosae ciborum partes non decenter resolvuntur & chylus crudus & viscidus evadere debet, qui ad sanguinem delatus eiusdem indolis producit sanguinem. Accedit, quod obstructis hepatis vasis secretoriis partes acidæ, quae in chylo existunt, non temperentur a biliosis partibus, quae alkalicae sunt naturae, unde chylus non acrimonia solum acida inficitur, sed crassus etiam & viscidus evadit, quia salia acida partes chyli solutas praecipitant, quae praeccipitatae in pluribus se contingunt punctis, fortius cohaerent & viscidum constituant.

C 2

Eius-

Eiusmodi chylus ad sanguinem delatus eundem eadem eadem inficit labe. Lien quidem non secernit bilem, nihilominus tamen praeparat sanguinem ad bilis secretionem in hepate peragendam. Liene igitur obstruēto bilis secretio in hepate decenter succedere nequit, unde eadem, quae ab hepatis obstruktione, oriuntur vitia. Cum igitur viscerum abdominis obstruktiones massam sanguineam acrem reddant & viscidam, acrimonia vero & visciditas humorum lymphaticorum hydropem caussari possit §. XV. XVI, altera patet ratio, qua obstruktiones viscerum abdominis ad hydropem producendum disponant.

### §. XX.

Cum quartana viscerum obstruktionem plerumque habeat comitem & a tenacissimo viscido oriatur, uti ex principiis patet pathologicis, ab hoc utroque autem hydrops oriri queat §. XIX, mirandum non est, quartanam ad transitum in hydropem adeo esse proclivem.

### §. XXI.

Febres intermitentes, praecipue vero quartana, in hydropem terminari solet, si perverso astrigentium usu supprimuntur, immo sola adstringentia imprudenter & copiose exhibita hydropem producere possunt. Haec etenim sola ad massam sanguineam delata vascula minima adeoque & vascula lymphatica tam excernentia quam resorbentia constringere possunt, si satis magna in copia propinuantur. Si vascula lymphatica resorbentia sunt constricta,

stricta, lympha resorberi nequit, remanet ergo, accumulatur & accumulata tumorem, id est, hydropem producit. §. I. Si vascula lymphatica excernentia sunt constricta, stasi expedita sequitur maior lymphae excretio, hinc eiusdem accumulatio & tumor seu hydrops. §. I. Si denique alia vascula in visceribus sunt angustata, exinde viscerum oritur obstrutio, aqua sola vario modo hydropem nasci posse, supra demonstratum dedi §. XIV. XVIII. Luculenter igitur apparet, quod & quomodo adstringentia hydropi ansem dare possint. Febres intermitentes omnes a visciditate humorum cum acrimonia coniuncta oriuntur & quartana praesertim magnam visciditatem pro causa agnoscit, uti pathologia demonstrat. Si igitur eiusmodi febres adstringentibus supprimuntur, haec non demonstratis solum modis hydropem inferre, sed etiam impedire possunt, quo minus viscidum evacuetur, quod remansens alicubi stagnare & viscerum obstructionem producere potest, ex qua hydrops oriri potest. §. XIV. XVIII.

## §. XXII.

Si nimia praedominatur humorum lymphaticorum copia, nihil facilius contingere potest, quam ut naturali maior lymphae copia excernatur in eiusmodi cavitates, e quibus exire nequeunt, nisi per resorptionem, & hoc actu fit, si per excretiones lymphae copia non imminuitur. Quod igitur si fit, necesse est, ut lympha accumuletur tumoremque, id est, hydropem §. I. producat.

C 3

§. XXIII

## §. XXIII.

Si lymphae excretio variis in locis impeditur, ut alio in loco copiosius excernatur, necesse est. Qui locus, si talis est, ut lymphae excretae nullus alius pateat exitus e corpore humano nisi per resorptionem, non potest non lympha retineri & accumulari & tumorem seu hydropem §. I. producere. Ex hoc apparet, cur hydrops a salivatione & a sudoribus suppressis nonnunquam suam trahat originem.

## §. XXIV.

In cachexia humores lymphatici tam abundantia quam visciditate peccant & partes solidae debilitate laborant; quae omnia ex principiis patent pathologicis. Cum vero tum lymphaticorum humorum abundantia & visciditas tum valorum lymphaticorum debilitas hydropem producere possit §. XV. XVII. XXII, ratio hinc elucescit, cur cachexia facile in hydropem transire soleat. Accedit, quod in cachexia ob partium solidarum debilitatem fluida minus resolvantur & eam ob caussam eorum visciditas augeatur, quae sola hydropem caussari potest. §. XV.

## §. XXV.

Neque silentio praetereundum est, a scabie, tinea capitis, aliisque exanthematibus scabiosis, arthritide vel podagra retropulsis, nec non ab ulceribus, quae multum materiae viscidiae atque acris fundunt, nimis cito consolidatis saepius nasci hydropem. Haec etenim omnia massa sanguineae acrimoniam indu-

inducunt & visciditatem, quae hydropi caussam subministrant & somitem §. XV. XVI.

§. XXVI.

Plethora tam ob massam sanguinis maiorem, quae magis vi vasorum moventi relistik, quam quoniā impedit, quo minus vasa ad debitum spatiū & debita vi se contrahere & sanguinem propellere possint, motum sanguinis tum progressivum tum intestinum reddit minorem & tardiorem, hinc minor sit massae sanguineae resolutio, &, cum a resolutione fluidorum dependeat eorum fluiditas, oritur humorum visciditas, quae a debilitate solidorum, quam producit plethora, magis magisque augetur. Cum enim plethora vasa iusto magis extendat, fieri nequit, quin debilitentur. Minor & tardior humorum motus progressivus atque intestinus legitimū secretionum atque excretionum successum impedit, hinc salia remanent accumulantur in humoribus, eosque reddunt acres. Quid? quod plethora, si nimis magna est, efficere valet, ut sanguinis stases & obstructiones producantur, ad quas multum contribuunt acrimonia & visciditas humorum a plethora orta. Nunc acrimonia & visciditas humorum item obstructiones viscerum hydropem producere possunt §. XIV. XV. XVI. XVIII. Qua de re a plethora quoque hydrops oriri potest. Ex his apparent ratio, cur & quomodo a mensium & haemorrhoidum obstructione nec non a venae sectione neglecta hydrops suam trahere possit originem.

§. XXVII.

## §. XXVII.

Nimia sanguinis & humorum excretione vires moventes insigniter debilitantur & vaſa minima angustantur, quo effici potest fluidorum lymphaticorum stagnatio, qua expedita in iusto maiori excernuntur copia §. IX, accumulantur ergo & tumorem, id est, hydropem §. I. producunt. Hac ratione oriuntur isti hydropses, qui evacuationes nimias sequuntur.

## §. XXVIII.

Nulla quidem res est naturalis tanquam causa morborum mediata remotior, quae productioni hydropis esset contraria; in primis tamen ad eum disponunt aetas puerilis tum ob fibras laxas & humidi abundantiam §. XVII. XXII, quae huic aetati propria sunt, tum ob addephagiam, cui indulgent pueri & cibos crudiores, quos assumere solent; temperamentum humidum ob fibrarum mollitatem §. XVII, humidique abundantiam §. XXII; sexus sequior easdem ob cauſtas; habitus corporis obesus ob fibrarum laxitatem §. XVII. & viscidos humores §. XV; vitae denique genus sedentarium ob humorum visciditatem §. XV. & vasorum obſtructions §. XIV. XVIII, ad quas disponit.

## §. XXIX.

Ex rebus naturalibus ad cauſtas hydropis referenda sunt 1) aēr humidus, quatenus fibras reddit laxas §. XVII. humidumque auget §. XXII, & frigidus, quatenus humores inspissat §. XV, vaſa, constringit §. VII, & excretiones supprimit §. XXIII,

2) cibi,

2) cibi, cuiuscunque sint generis, si nimia in copia assumentur, quoniam cruditates & viscidum producunt, §. XIV. XV, si viscidii sunt & crudi sive per se considerati sint tales, sive relative ad subiectum, quod istis fruitur, v. g. partes animantium tendinosae, cutis porci, nimis pinguia & glutinosa, pastilli farinacei, panis recens non bene fermentatus vel coctus, placentae aliaque farinacea, fumo indurata & id genus alia, quia viscidos & ad stases proclives reddunt humores §. XIV. XV, si acres sunt, quia acrimoniam producunt §. XXII. 3) potus nimis tenuis & aqueus, si copiose ingurgitatur, quia humorum lymphaticorum copiam auget §. XXII. & vasa relaxat §. XVII, si nimis frigidus est, quia instar aëris frigidi modo no. I. exposito, sed maiori gradu, agit, si calidus est & abundanter sumitur, quia debilitatem fibris & vasis inducit §. XVII. humorumque lymphaticorum copiam auget §. XXII, &, si spirituosis est, quatenus fluida coagulando & inspissando ad obstrunctiones viscerum disponit §. XIV. XV, 4) quies itemque somnus nimius, quia fluida reddit viscidia & ad stases apta §. XIV. XV, & vasa debilitat §. XVII, motus vero nimius & vigiliae, quatenus humidum blandum & vires consumendo humores viscidos & acres adeoque ad stases pronus reddunt. §. XIV. XV. XVI. 5) ex animi affectibus moeror tristitia animique angor, quia vasa debilitando & humores reddendo spissos viscerum obstrunctiones producit. §. XIV. XVIII. 6) Retenta quaelibet modo vasa extendendo & debilitando modo reliquos humores vel acres

D

vel

vel viscidos reddendo nocent. Quomodo excretiones nimiae ad hydropem concurrant, iam demonstratum fuit §. XXVII, praeterea vero nimiae excretiones eatenus quoque hydropsis generationi favent, quatenus efficiunt stagnationem humorum. Stagnantes enim humores corrumpuntur & acrimoniā assūmunt, quia vasa lymphatica erodere & hydropem producere valent. §. VIII. X. Idem valet de quacunque humorum acrimonia producta virtutē rerum nonnaturalium, dummodo sit satis magna.

## §. XXX.

Observando porro compertum est, nihil tam facile posse ingenerare hydropem quam potum frigidum aquēum post insignem corporis incalescentiam vel in vehementi ardore & siti magna in copia haustum item aquarum mineralium tam calidarum quam frigidarum non debito cum regimine usum. Purgantia & salivantia humores resolvunt, & purgantia, si mitiora sunt, in largiori vero propinantr copia, vel draſtīca sunt, non nimiam solum producunt humorum resolutionem sed vires etiam insigniter proſternunt. Ex nimia vero humorum resolutione oriri potest hydrops, si per excretiones non omnes humores resoluti excernuntur, quia tunc plus excernitur lymphae quam reforbetur, hinc accumulatur & tumorem, id est, hydropem §. I. producit. Ex virium prostratione orta a purgantibus vehementioribus quomodo nasci possit hydrops, patet ex §. XXVII. Eadem valent de salivantibus & haec in primis tunc cauſari possunt hydropem, si nulla excretionis

cretio nec salivae nec alia sequitur; tunc etenim humores lymphatici eo maiori in copia in eiusmodi loca excerni solent, e quibus exire nequeunt, nisi per resorptionem, hinc accumulari & tumorem, id est, hydropem producere debent.

## §. XXXI.

Ordinis ratio nunc exigeret, ut singulas hydro-  
pis species perlustrarem, sed brevitas, cui studeo, id  
prohibet, interea tamen pauca adhuc proferam, quae  
mihi maxime notatu digna videntur. Omnis hydro-  
ps eo gravior peior & periculosior est, quo magis aetio-  
nes laedit vitales. Cum igitur hydro-  
ps pericardii &  
pectoris motum cordis & respirationem, quae sunt  
aetiones vitales, certaeque hydro-  
pis species respirationem magis laedant, quam aliae hydro-  
pis species, liquido appetet, has hydro-  
pis species aliis hydro-  
pis speciebus graviores peiores & periculosiores esse, si  
reliqua ponuntur eadem. Porro omnis hydro-  
ps terminatur in sanitatem vel non & hoc in casti vel in  
mortem vel in aliud morbum. Si viscera non am-  
plius sunt integra sed graviter & pertinaciter obstru-  
nt, urina pauca, ruffa, nigricans vel perfecte aqua,  
nulla ad sudandum inclinatio, appetitus prostratus,  
magna ingensque sitis & tussis viresque prostratae  
sunt & tumor, non obstante optimorum medicamen-  
torum usu, augetur, urina supprimitur atque respi-  
ratio magis magisque impeditur, haec signa hydro-  
pem in mortem transire indicant. Nulla quoque spes sa-  
nitatis superest, si viscerum abdominis scirrus inver-  
teratus vel alia gravis corruptio hydro-  
pem cau-  
tur

D 2

13031

tur & sustinet. Malum itidem est signum, si vires una cum appetitu magis magisque pereunt, febris accedit, sitis & tussis augetur, multum liquidi assumitur, parum vero per urinam redditur & haemorrhagia supervenit. E contrario sanitatis restitutio est speranda, si viscera adhuc sunt integra, affectus nondum inveteratus vel ab alio gravi morbo non ortus est, neque maior sitis calor linguaeque ariditas neque tussis molesta & respirandi difficultas urgent, urina copiose emittitur, alvi excretio rite succedit, vires adsunt sufficietes nec usū remediorum imminuntur sed potius augentur, appetitus non plenarie est prostratus, dolor vero & ardor absunt.

### §. XXXII.

In Ascite partes superiores contabescunt & extenuantur, quoniam vasa humoribus minus sunt repleta, a quo plenus dependet habitus. Respiratio valde difficilis est & molesta, quia lympha in abdominis cavo accumulata diaphragmati & abdominis musculis magnam creat resistentiam, nonnunquam etiam lympha in pectoris cavitate acervata respirationis difficultatem producit. Sitis semper vehementer adest ob humidi intra vasa defectum & tussis sicca esse solet comes perpetuus atque indivulsus. Appetitus in principio & praesente acido in ventriculo adesse, ob viscidum vero eminens ventriculique laxitatem nimiam deicetus esse solet. Totum abdomen cum quodam gravitatis sensu intumescit, & quum impellitur, liquor fluctuat fluctuantisque liquoris sonitus exauditur, qualis ab utre non omnino aquae pleno redditur, nisi lympha sit peculiaribus fassis

faccis inclusa. Interdum venter aqua turgidus ita prominet, ut pedes vix cerni queant & abdominis ruptura sit metuenda. Tumor quoque pedes & scrotum occupare solet.

## §. XXXIII.

Quum in ascite, qui magnam iam assecutus est gradum, musculi abdominis insigniter sunt extensi atque elongati, interdum ad tantum gradum, ut duplo sint longiores quam in staturali, tonus eorum physicus debet esse valde imminutus, ita, ut ad priorem brevitatem non nisi post plures dies se contrahere possint. Si igitur paracentesi omnis aqua simul & semel evacuatur neque abdomen fasciis & manu comprimitur, musculi abdominis flaccidi atque insigniter relaxati intestina in loco naturali ne quidem sustentare, multo minus versus hepar premere atque id una cum diaphragmate sursum pellere possunt, intestina igitur descendunt, hepar ex pondere sequitur, & cum hepar ope quatuor ligamentorum cum dia phragmate sit connexum, diaphragma simul deorsum trahere debet. Hac ratione fit quidem pectoris dilatatio adeoque inspiratio, exspiratio vero, quatenus per diaphragmatis ascensum peragenda est, plane cessat, & quatenus per costarum descensum fit, imminuitur eam ob caussam, quoniam in statu naturali costarum descensum adiuvant musculi abdominis, qui vero post paracentesin flaccidi admodumque relaxati id amplius praestare non possunt. Descensus costarum, quatenus fit per musculos intercostales internos, vel nihil vel admodum parum angustare valet pectoris cavitatem, quia sub flaccido & rela-

xato muscularum abdominis statu diaphragma fere in tantum descendere & descensu pectoris cavitatem ampliare potest, in quantum per costarum descendens pectoris cavitas angustatur. Sic igitur exspiratione vel plane cessat vel ad eum usque gradum imminentur, ut vitalis nominari nequeat, quamquam pectoris motus, quatenus costarum ascensu & descensu peragitur, adhuc continuet. Expiratione cessante cessat etiam inspiratio, vel ista, si adhuc peragitur, quia forsitan diaphragma magis adhuc descendere potest, admodum parva est & pro nihilo habenda. Tota itaque cessat respiratio & cum sine respiratione sanguinis circulus subsistere & continuare nequeat, hic quoque tollitur & mors sequitur.

§. XXXIV.

Si paracentesis ita instituitur, ut abdomen fasciis constringatur & manibus comprimatur, aegrotos simul fere horizontaliter decumbente, hepar descendere & diaphragma deorsum trahere, nec diaphragma consticto per costarum descendens pectori descendere valet. Haec ergo respirationis impedimenta ligatura & compressione abdominis aegri situ horizontali tolluntur. Musculi quidem abdominis eiusmodi ligatura non statim pristinum suum physicum & vitalem recuperant tonum, ita, ut diaphragma sursum pellere queant, sed partim fasciae applicatae sua elasticitate partim aer intestinis inclusus elasticitate sua partim pondus hepatis ex aegri decubitu horizontali, quo in casu versus diaphragma quamquam oblique & parte tantum sui ponderis premit, partim compressiones abdominis per adstant-

adstantium manus, hunc defecatum supplant & sic  
vita conservari potest. Quid? quod, cum constrictio  
abdomine diaphragma descendere nequeat, re-  
spiratio in aegro adeo debili & quiescente solo co-  
storum & sterni motu sufficenter & quantum ad vi-  
tae conservationem necessarium est,  
peragi potest.

T A N T V M .

E R R A T A .

p. 1. lin. ult. pro; lege:

p. 16. lin. 19. pro quam lege quas.

p. 20. lin. 2. pro eundem eadem eadem eadem.

p. 20. lin. 20. pro solet lege solent.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S .

*Quum TVAM scientiae medicae pertractandae atque ex-  
colendae rationem satis cognitam habeam atque per-  
spectam, facere non possum, quin TIBI egregium TVAE in-  
dustriae atque eruditionis specimen impensisimo animi stu-  
dio gratuler. Tertius fere decucurrit annus, ex quo ad no-  
stram Fridericianam accessisti & bonarum litterarum scien-  
tiae salutaris studiis sedulam fidelemque navasti ope-  
ram. Neque illotis manibus minusque praeparatus sed ar-  
tibus ad humanitatem bene formatus & philosophiae prin-  
cipiis probe imbutus ad medicinam accessisti addiscendam, &  
cum nullum TIBI defuerit illorum subsidiorum, quibus ad-  
altiora in academiis tractanda sumus praeparandi, egregios*

in

in re medica fecisti progressus. Illustris BÜCHNERI aliorumque, quibus Fridericiana nostra ornatur, Doctorum celeberrimorum praelectionibus interfueristi assidue, & quanto animi fervore quamque indefesso studio in medicina addiscenda per integrum illud, quod in bacee celeberrima Musarum sede consumisti, temporis spatium occupatus fueris, ipse testis sum, utpote qui te assiduum indefessum atque attentum in omnibus meis collegiis habui auditorem. Semper coluisti vitam cum morum probitate & honestate coniunctam & nullus facile dies transiit, quo non mecum doctos contulisti sermones mibique indefessa tiae industriae specimina dedisti, quae omnia effecerunt, ut te non diligenter solum sed insgni etiam amore & favore complecterer. Gratulor nunc tibi defensionem dissertationis sollemnam, & quum te porro eodem futurum animo confidam, prorsus non dubito, quin benignissimi Numinis gratia tibi in posterum sit affutura. Adsit perpetuo omnibusque laboribus tuis successus largiatur optimus. Vale. Halae Magdeb. d. XVIII. Nov. MDCLIV.

Athletas tantum veniens spectare, brabeum  
Non fert, sed qui rem fortiter ense gerit.  
Qui certat, vincit sed non spectator inanis,  
Victorem forteam praemia digna manent:  
Vos studio exculti, spectasti praelia docta,  
Sed spectasse nihil, conservisse iuvat.  
Hinc merces venit, en! Vos lauro Mula coronat,  
Aufertis studii praemia iusta boni.  
Gratulor ergo tibi Nomen tibi grator honores,  
His simul adiicit prospera queque Deus!  
Applaudunt Musae, dicentes voce sonora:  
Omnibus his dantur digna brabeia, sat est.

Hicce amico suo suavissimo calamo nimium preponente gratulari voluit

IOANN. GEORGIVS DAHLHOF,  
Past. ad Sp. S. & Corrector Unnensis.



200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> MEDICA

SISTENS

# HYDROPI<sup>S</sup> PATHOLOGIAM,

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAE SIDE

ERNESTO ANTONIO NICOLAI,

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CONSILIARIO AVLICO,

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE

PUBLICO EXTRAORDINARIO

D. XIX. NOVEMBR. A. R. S. CCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

ERNESTVS HENRICVS DAVIDIS

TREMONIENSIS GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

BRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.